



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Barbara V. & M. 4. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

labore vacat omnium salutem. An pari charitate complector proximum? An ipsi præsto sum, tum animo, tum corpore laboranti?

3. *Amore Crucis* vincetus & Martyr Jesu Christi in sanctorum regno mori cupit. Omnibus omnino voluptatibus abstinet; nullum omittit poenitentiae genus, ut sua aliorumve luat peccata. *Amplius* laborum, *amplius* dolorum semper perit; & ego (quæ mea ignavia est) ubi me minimus doloris aculeus pungit, statim clamo. *satis est.* Domine quantum libet caro reluctetur, auge precor dolorem, si prius auxeris patientiam, & amorem. *Amplius Domine, amplius.*

S. BARBARA V. & M.

4. Decemb.

Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis.

Christus Luc. cap. 21.

Nullius tam à vita nomen abluit, quàm Barbaræ. Dioscorum habuit parentem Deorum Mancipium, ipsa Deo addicta. Matura, ob formam, turri inclusa, libertate Christianâ, si unquam, est usa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut Fidei radii splendidiùs animis illucerent, binis fenestris tertiam superaddidit, balneum verò multâ cruce insignivit,
gnara

gnara qui mentibus lavandis ex hac fontes sca-
turiant. Interea cum stomacho Dioscorus in-
telligit, filiam Christianam esse, & ferro inse-
quitur. Sed sinum, quo parens expulerat,
mons præbuit disclusus. Et lubens thesaurum
hic occultasset, nî, qui Miraculum viderat, in-
nocentem oviculam pastor nequam prodidit.
Captam itaque filiam inaudito exemplo
ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua
videt, sanam à Christi manu iterum affligi,
quin ubera etiam castissimæ abscindi, non fa-
cturus, si bibisset ubera. Hinc novus filix suæ
Leno per urbem ludibrio circumduci sustinet
unâ verecundiâ tectam. Demum è tyranno
carnifex sua manu non barbaram filiam barba-
rissimus parens demetit. Sed Carnificis Car-
nifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus
extinxit. Nunc Barbara illis è cælo opitulatur,
qui, ne sine sacro epulo diem ultimū obeant,
orant. Testis ejus rei locuples. Stanislaus est
sanctissimus è Societate Jesu adolescens;
quem si æmulabitur, rectè faciet adolescentia.
Ex Baron.

MEDITATIO.

In vitam S. Barbaræ.

S Barbara Deo mavult obedire, quàm suo paren-
ti, quamvis monitis adderet, & tormenta. Tu
verò

verò nunquid secus agis? Nunquid aliquando dimittis
divinum obsequium, ut parenti aliisque obsequaris?
Adolescens cape exemplum de sancta Barbara. Disce-
de à parentum tuorum voluntate, si mandatis divinis
adversetur. *Melius est, contristare parentes, quam contri-
stare Deum.* Joann. Clim.

2. Sanctæ Barbaræ parens Carnifex fuit natæ suæ:
verum irato Deo meritas pœnas dedit: occisa quippe
natâ, occidit & parens, tactus cœlesti fulmine. Ti-
meant parentes, timeant propinqui, timeant amici
qui filios propinquos, & amicos avertunt ab obsequio
Dei. Num etiam tu dicteris, & pravo exemplo ab-
strahis socios tuos à piis opetibus?

3. Sancta Barbara, morientium singularis patro-
na est: ut qui ipsius opem implorant subitanæ & im-
provisâ morte liberentur à Domino, eam itaque im-
posterum invoca: sed ut hæc Beatissima Virgo tibi si-
ngulariter opituletur, imitare ejus virtutes: & ne incau-
tum te mors opprimat. *Exspecta quotidie finem visa, &
ad illud iter te para.* S. Ephrem.

S. S A B A S Abbas.

5. Decemb.

*Scio enim cui credidi, & certus sum,
quia potens est, depositum meum ser-
vare in illū diem.* Paul. 2. ad Tim. c. 1.

S Abam si spectasses, Imperatorem dixisses;
ut